

IN LOCVM ROM. IX, 28.

INQUIRIT

SIMVLQVE

VIRIS

NOBILISSIMIS ATQVE DOCTISSIMIS

IOHANNI LVDOVICO
RVDORFIO,

PHILOS. BACCAL.

ET

GEORGIO FRIDERICO
WEBERO,

SVMMOS IN PHILOSOPHIA
HONORES

GRATVLATVR

IOHANNES SALOMO FEHMEL

EISFELDA FRANCVS S. S. THEOL. CVLT.

D. XVI. FEBR. A. MDCCXXXVII.

LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMIA

Coll. diss. A
167, 3

574. Jt. 167 (3).

13

13. 167. #

IN LOCVS ROME 1713
PROPRIO

1713

VIRI

IN RESSITATE ATQUE DOCTRINIS

IOHANNI LUDOVICO

RYDORFIO

PHLOS. FACULT.

GEORGIO FRIDERICO

WELFERO

ZVMMOS IN PHILOSOPHIA

HONORES



IOHANNES SALOMO FENNEL

PHLOS. FACULT.

DR. THEOL. A. O. DISSECKEN

1713

EX OFFICINA LANGENHANS

§. I.

Non vniuersum modo Reformationis opus, sed Lutheri etiam in adornanda sacrarum litterarum versione, qua vix melior hodie extitit, felix conatus, cuius intelligenti admirationem iniicere valet. Tanta enim, quae illa tempestate serpebat, barbaries bonarumque litterarum ignorantia non poterat non beatum Reformatorem omnibus fere subsidiis priuare, ad hocce interpretandi negotium necessariis. Non temere itaque adcuranda est neglectae adcuratiois translatio Lutheri germanica; neque statim pronuntiandum est: Lutherus hoc loco errauit et hallucinatus est. Quodsi enim nonnulla etiam inueniamus, quae a fontibus paululum discedere videantur, nonne prudentiae erit, ea, si fieri potest, conciliare, *) sin minus, beati Viri mentionem plane non facere? Num eiusmodi facile hominem foecordiae argueres, qui viam ad locum amoenissimum pararet, rupibus antea, faxis, fruticibus, spinis impeditam, si quosdam saltem scrupulos non remouisset, leuissimum viatoribus incommodum efficientes? Iam considera improbum beati viri laborem et facile te ab eiusmodi querelis abstinebis.

§. II.

Quum tamen interpretis sit, non in versiones iurare, sed vbique potius fontes consulere; nemo audaciae adcurari poterit, qui vnum vel alterum locum in fontibus considerat, verum sensum eruere studet et verbalem et realem, modo id fiat moderate et conatu ab omni culpandi studio alieno; id quod hodie Theologi nostri faciunt plerique omnes. Nos igitur etiam *δυσωντον* aliquod Paulinum, quod habetur Rom. IX, com. 28. explicare cum animo constituimus, quum in versione paulo aliter se habere videatur, quam in fontibus.

A 2

Non

*) vid. b. Pfeifferi Crit. Sacr. p. 293. et 297.

IV

Non eo tamen consilio id negotii suscipimus, quod aliis sapientiores videri cupiamus, sed quod intelligentiam nostram excutere ac vires tentare velimus.

§. III.

Decerpit Paulus hunc locum ex Vet. Testamento et quidem ex Ies. X, 22, 23. Sed, ut fit saepissime in Noui Testamenti paginis, *) Alexandrinam versionem retinuit, paucis relictis. Nostrum igitur est, ut de utroque dispiciamus et primo quidem verba graeca explicemus ordine, ut quis huic oraculo subsit sensus, facilius cognosci possit. Constat quidem comma hocce duabus propositionibus, quarum altera subicit subiectum, ex altera commode huc referendum, quum nulla nos urgeat ratio Iesaiam, κραζοντα υπερ τε Ισραηλ, in eius locum locare. Κυριος igitur is est, qui λογον συντελει και συντεμνει εν δικαιοσυνη et sic λογον συντετμημενον ποιησει επι της γης. Notissima est vocabuli συντελειν vis nativa, et de eo plerumque adhibetur, qui rem aliquam ad finem perducit ac perficit. Nec multum etiam a sua hacce significatione deflectit, si, ut hoc loco fit, cum voce λογος combinetur; quae dicendi formula eam admittere explicationem posset, quam exigit Math. VII, 28. atque adeo, Deum finem sermonis sui promulgandi certe facturum esse, propheta innuisset; veruntamen, quominus idem in hoc oraculo valeat, impedit nexus cum antecedente versu, cuius certe in se continet probationem. Iniicitur enim com. 27. mentio αριθμος et quidem eiusmodi, quem cum arena maris comparare possis; iniicitur mentio τε καταλειμματος, residui cuiusdam ex illo immenso numero saluandi. Verisimile adeo videtur, λογον συντελειν idem hoc loco valere ac: *rationem conficere*, ac *consummare aliquid*. Neque vero repugnat huic interpretationi vocabulum λογος, quippe quod saepissime adhibere solent scriptores sanctiores pariter ac profani, si de numero

aut

*) conf. Cel. Schwarzium ad Olear. de Stylo N. T. p. 304. seqq.

V

aut ratione ipsis fermo est *). *Συντελεῖν* autem, quemadmodum in vniuersum, rem aliquam ad finem perducere, notat, ita etiam de computatione numerorum sigillatim vt adhibeatur, aptissimum est; quum *τελος*, ex quo *τελεω* enatum est et *συντελεω*, interdum significet id, in quo omnia quasi in compendio habentur, quae verbosius antea sunt demonstrata 1 Tim. I, 5. vbi Lutherus optime: Die Hauptsumma conf. 1 Petr. III, 8. Iam vero notum est vel iis, qui rem arithmeti- cam a limine salutarunt, summam esse finem rationis et diuer- forum numerorum congregationem.

§. IV.

Alterum quod *λογον* comitatur verbum, *συντεμνειν* est, in cuius explicatione omni studio versantur interpretes. Et *Raphelius* quidem in Annot. ad. N. T. ex Herod. p. 438. id agit, vt ostendat, satis apte expressum esse hoc verbum in versione germanica, per vocem *steuern*. Optimo sane con- filio hanc Lutheri defensionem suscepit et damus etiam id *Raphelio*, *συντεμνειν*, si nude, et extra vinculum cum alia voce, consideretur, verti omnino ita posse; Id tamen nondum pro- batum dedit, compositam hancce locutionem in scriptore suo profano pariter ac in hoc sancto oraculo haberi, eundem- que poscere significatum. Vt taceamus non satis firmum semper argumentum illud esse: vocabulum hoc sensu in bo- nae notae scriptore profano occurrit, ergo etiam in sanctio- ribus paginis eadem ipsi notio subiicienda est. **) Quodsi enim *Raphelius*, cuius obseruationes, tantum abest vt laude sua defraudemus, vt potius semper magni faciamus, quodsi, inquam, ex *συναφεια* textus sacri simul demonstraſset, hunc,

A 3

quem

*) conf. Cel. *Schwarzii* Commentt. Critt. voce *λογος* it. *συναφειν* in not. et *Hammondum* ad N. T. et quidem ad cap. III. ep. ad Rom. com. 28.

**) conf. Cel. *Moshemii* disp. de eo quod iustum est circa sacrar. litte- rar. ex profan. scriptorib. interpret. §. VI. p. 119. Syntagmatis dis- fertt. eius ad sanctior. discipl. pertinentium. it. Cel. *Wollii* *Herme- neut.* N. F. p. 191.

VI

quem in scriptore suo repererat, significatum, non posse non etiam in oraculo nostro locum habere, certe non esset, cur vlla in nobis oriretur dubitatio. Alii interpretes et *Patres* fere *graeci* omnes ita exponunt, vt *conclisa* ex eorum sententia sit *oratio*, per quam intelligunt euangelium, in quo vniuersus nimirum cultus leuiticus quasi in compendio deprehendatur. *) Hisce etiam se adiungit *Augustinus* et vertit: *verbum abbrevians* **) *Elsnerus* in *Observatt.* ad h. l. *decretum* designari putat *decisum*. Alii vero aliter. Nos potius cum *Hammondo* in *Annott.* ad *N. T.* et *Cel. Io. Contr. Schwarzio* ***) voces hasce vertendas esse statuimus: *rationem subducere*. Atque adeo metaphora ducta videtur ab oeconomio vel arithmetico, qui de numero congregato subducit, quae sunt subducenda, et summam acceptorum ab expensis separat. Quem modo citauimus, *Cel. Schwarzius* ad morem computandi antiquissimum respicere haec verba putat, sed paginae huius angustia non permittit, vt in illum ritum inquiramus. Nec adeo opus est eundem in auxilium vocare, quum nexus orationis suspicioni nostrae suffragari videatur, id quod mox demonstrare annitemur.

§. V.

Sequitur iam modus, quo Deus illo computandi ac subducendi negotio perfunctus dicitur, nimirum: *εν δικαιοσυνη*, *per iustitiam*, siue *iuste*, aut potius, *praeuisa iustitia*. Voces hasce: *εν δικαιοσυνη*, vna cum sequentibus: *οτι λογον συντετμημενον*, ex Alexandrina huc esse translatas et in contextum orationis Pauli illatas, *Hammondus* existimat. Nititur etiam suspicio eius codice MS. Regio, in quo tantummodo verba leguntur: *λογον συντελων και συντεμων ποιησει ο κυριος*
επι

*) vid. *Suizeri* Thesaur. eccles. voce *συντεμμεν*.

**) de diuersis quaestion. ad *Simplician.* Lib. I. Tom. VI. Opp. quae adornata sunt opera et studio ordinis Sancti Benedicti e congregat. Mauri p. 73. seqq.

***) in *Commentariis criticis N. F.* p. 1286.

ἐπι τῆς γῆς. Sed tantum abest vt consentientem hac in re habeat *Io. Clericum*, *) vt potius hic omnes reliquos codices ac veteres etiam interpretes, verba in Alexandrino omiffa exhibere, obseruauerit. Nulla etiam nos vrget ratio, cur, Paulum mutilate τῶν LXX. versionem adduxisse, dicamus.

§. VI.

Ad alteram nunc oraculi nostri propositionem euoluendam nos accingimus, cuius quidem paulo facilius erit consideratio, cum de priore quaedam in medium protulerimus. Ὅτι, inquit Paulus, cum Alexandrinis interpretibus, λόγον συντετμημενον κυριος ποιησει ἐπι τῆς γῆς. Particula ὅτι vtrique et *Clerico* et *Hammondo* non satis apta videtur constructioni, et particulae γὰρ minus adcurate respondere. *Hammondus* tamen pro expletiva habet et reddit: *Scilicet*. Forfan tamen etiam abundare eandem adfirmari posset, quod in multis certe fit scriptorum et sanctorum et profanorum locis. **) Sed nemo etiam audaciae nos adcurare poterit, si enallagen coniunctionis causalis pro ratiocinativa locum hic habere suspicemur, quum eadem in LXX. Interpr. interdum inueniatur e. g. Iud. XV, 3. et sic commode non modo transferri posset: *propterea, quocirca*, sed cum hebraeo etiam כִּי, eandem interdum significationem induente, optime concordaret. Λόγον denique συντετμημενον ποιειν quid notet facile nunc intelligitur. Quodsi enim λόγος rationis, συντεμνειν vero, subductionis notionem inuoluit, sensus compositae huius locutionis et totius posterioris enunciationis hic erit: *propterea Dominus rationem subductam siue numerum certum constituet in terra.*

§. VII.

Nexus orationis Paulinae rem efficiet clariorem, sequemur igitur filum illud ariadneum. Enunciatio quidem
totius

*) in Not. ad *Hammond*. N. T. p. 52.

**) conf. *Olearius* de Stylo N. T. p. 29. sqq.

totius cap. IX. ad Rom. primaria, suffragantibus eruditis fere omnibus, haec est: *Iudaei, iustitiam sectati ex operibus legis, eam non sunt adsecuti, sed a Deo reiecti ita, ut non amplius audiant populus eius; e contrario gentes eiusdem facti sunt participes.* Hunc totius capituli clauem porrigunt com. 30, 31. *) Aduersus hanc propositionem dubia quaedam mouebant Iudaei, quorum primum ex responsione Pauli v. 1. 2. 3. intelligitur. Num ergo, aiebant, omnes Deus Israelitas reiecit? Respondet Apostolus negando: ita enim, inquit, et ego optarem et professurus essem, me per anathema separatum a Christo esse aeque ac **) fratres meos, qui sunt cognati mei secundum carnem v. 3. qui tamen multis gaudent praerogatiuis v. 4. 5. ex quibus tamen nondum efficitur conclusio: E. illi semper manent filii Dei. Non omnes enim qui Iacobum patrem agnoscunt ideo sunt genuini et veri Israelitae, i. e. qui patris sui fidem imitantur Gen. XXXII, 26. nec omnes qui sunt semen Abrahami, filii etiam sunt v. 7. ex eadem ratione, conf. Io. VIII, 39. Sed filii promissionis v. 8. 9. quos nimirum Deus per aeternam προγνωσιν euangelio obediens cognouit ac respectu illius fidei per προθεσιν gratiosam elegit, id quod exemplo Esau et Iacobi videre licet v. 10. 11. 12. 13. Sequuntur iam aliae oppositiones v. 14. vsque ad 19. quibus Deum iniustitiae adcurare voluerunt. Paulus vero obuiam it hisce obiectionibus v. 20. demonstrando, quod homini haud liceret Deum iniustitiae arguere, si etiam eius misereri haud vellet, sed quemadmodum argilla non quaerit ex figulo: quare me ita struis ac formas? ita hominis esse, totus ut in Dei voluntate adquiescat v. 20. 21. Ostendit tamen etiam Paulus v. 22. Deum ita absolute haud agere cum hominibus, quamuis possit, sed potius magna lon-

*) vid. Summe Ven. Deylingius in Miscellan. p. 780.

**) Ita enim optime exponit particulam υπερ Cel. D. Christoph. Wollius in disert. de vera fictaque non nullarum particular. N. T. emphasi, quae ecclesiae eiusdem pharisaicae adiuncta est.

longanimitate tolerare *σκαυη οργης* i. e. homines peccatis et irae obnoxios, in quibus omne id deprehendatur, quod pernicie dignum sit v. 22. Id porro agere Deum, vt facto doceat, quam abundans sit gratia eius gloriosa erga homines, misericordiae suae testes, quos praepararat ad gloriam v. 23. Exemplum huius rei luculentum videre licet in nobis, ait Apostolus. Nos enim ex Iudaeis et gentibus vocauit v. 24. Probat hoc duplici vaticinio, altero quidem ex Hosea decerpto et gentium vocationem adferente v. 25. 26. altero, ex Iesaja, quod haecenus considerauimus et in quo numerus infinitus filiorum Israel commemoratur, qui dignus quidem esset vt perderetur, ex quibus tamen residuum aliquod certe salutem consecuturum sit. Deum enim more prudentis oeconomi rationem iam confecisse, ac subduxisse etiam respectu habito ad iustitiam, scil. fidei, quis futurus sit reditus sparsi inter illos euangelii seminis; hinc etiam numerum certum constituere in terra v. 28. Quodsi igitur Deus non reliquisset et reseruasset Israelitis semen, sicut Sodoma extirpati plane essent, vt Iesaias praedixit v. 29. Adiungit denique Paulus causas electionis gentium et reiectionis plurimorum ex gente Iudaica v. 30. vsque ad fin. Capite vero X. per texit telam explicationis illius, quam supra posuimus enunciationis, et Cap. denique XI. com. 1. vsque ad 5. ostendit, quorsum haec omnia tendant, quae cap. IX. et X. ab ipso disputata sunt. Nimirum non plane reiecisse Deum gentem suam Iudaicam, et quamuis primo quidem ad spectu id appareat, in memoriam tamen reuocandum esse id, quod Eliae tempore accidit 1 Reg. XIX. Elias adeo perditam esse ecclesiam Iudaicam existimabat, vt nullus omnino in ea restaret verus Dei cultor. Diuinum vero responsum certiore eum reddebat, numerum definitum, sex nimirum millia hominum reliqua esse ab idololatria Baalis alienorum. Ex his Apostolus efficit conclusionem: ΟΥΤΩΣ ΕΥ ΕΙ ΤΩ ΝΥΝ ΚΑΙΡΩ

B

ΛΕΙΜΜΟΣ

λειμμα κατ' εκλογην χαριτος γεγενεν; quae Pauli conclusio magnum interpretationi nostrae robur conciliare videtur.

§. VIII.

Redeamus nunc etiam ad fontes et videamus annon translatio graeca ab illis haud discrepet, sed sensum et verba adcurate exprimat. Habetur quidem locus vt §. III. indicauimus Ies. X. com. 22. vbi primo se nobis offert vox כלויין, de qua magna est interpretum discrepantia. Nonnulli ex iis, *consummationem* atque *reiectionem* illa indicari putant, quorum tamen sententiae non suffragatur *Seb. Schmidius*, *) sed *decretum* potius designari *practicum et immutabile* ex v. 23. colligit. In auxilium etiam vocans loca 1 Sam. XX, 33. et Nehem. IX, 31. oraculum nostrum ita transfert: *Residuum conuertetur de eo, numerus scilicet immutabili et ultimo super hunc populum decreto destinatus, mundatus iustitia.* Haud procul ab hac expositione recedit *Elsnerus*. Alii vero aliter. Nos haud abnuimus, Deum ab aeterno decreuisse eos ex Iudaeis saluos facere qui Messiae abundantiam iustitiae accepturi essent. Namque hoc etiam exinde elucet, si verba hebraica ita reddimus: *Summa praecisa redundans est, i. e. certe redundabit per iustitiam, adeoque Deus Dominus exercituum numerum definitum constituet in vniuersa terra.* Deus enim, qui antequam mundus existeret, iam iam praeuidit, fore, vt aliquando ex perditis Israelitarum turba, imo ex omnibus gentibus, quidam in filium suum εν πληρωματι τριτων χρονον mittendum, credant; numerum illum credentium immutabili decreto ad salutem aeternam destinauit, id quod aliis etiam locis luculenter edocemur v. g. Rom. VIII, 29. Eph. I, 4. Non solum autem radix כלה quippe quae praeter *consumi* etiam notat: *compleuit, consummauit*, sed etiam, quod de eo descendit, vocabulum כלל id quod pro *numero rerum vel graduum perfecto* interdum sumitur e. g. Gen. XVIII, 21. nostrae non aduersatur interpretationi. Imo et

*) In Annot. ad Ies. et quidem ad C. X. comm. 22.

et verbum ei cognatum כָּלֵל in vna summa comprehendere omnia, significat; quidni hoc etiam in loco, praesertim cum illud ex nexu totius capituli adpareat? Scilicet propheta dixerat, tantam futuram esse doctorum ecclesiae, quorum perditiores describuntur v. 12. et totius populi poenam, vt ab anima vsque ad carnem transeat malum illud v. 17. 18. cf. cap. IX. v. 15. 18. licet baculus, cuius ope percussurus esset Deus gentem suam, iustam etiam ob arrogantiam effugiturus poenam haud sit v. 5. vsque ad 16. Sed obiicere potuissent Israelitae ad factum tam acerbum destinati E. omnes omnino Deus perdet Israelitas? Respondet itaque propheta et consolatur pios: non omnes perdet Deus Israelitas; nam etsi numerus populi Iudaici, perditioni addictus, tam immensus foret vt arena maris; tamen residuum reuertetur in illa immensa multitudine v. 22. scil. ad Deum fortem v. 21. Sequitur iam explanatiua propositio commatis 21. et dimidii 22. כְּלִיֹן חֲרוֹץ שֶׁטֶף צִדְקָה i. e. כְּבִצְדָקָה summa nimirum subducta s. decisa redundabit per iustitiam, in Messia Cap. XI, 1. et 5. declarandam. Non est ergo, propheta nomine Dei pergat, cur timeas, popule mi i. e. filii mei dilecti in populo Hof. II, 2. ne Assur extirpaturus sit vniuersam gentem v. 24. conf. cap. XI. com. 11. Alio etiam in loco, nimirum cap. XXVIII. com. 22. hortatur Propheta Israelitas, vt nuncium mittant cauillationi et potius se diligente perceptione verbi diuini numero credentium adiungant a Deo definitio, ne vincula eorum firmiora fiant et duriora. Nam reiectio in N. T. grauius omnibus vinculis malum erit. conf. 2 Petr. II, 4. Alexandrini adeo Interpretes sensum vaticinii huius satis adcurate, vt opinor, expresserunt. Quod autem ad verba attinet, adcuratius forsan ea reddidissent, si codice vsi fuissent punctis vocalibus haud destituto. Veri enim simile est, eos loco חֲרוֹץ legisse חֲרִץ, *) quod fieri facilius potuit ab-

*) Observat id Jo. Clericus in Not. ad Hammondi N. T, p. 52.

sentibus vocalium notis. Nec desunt etiam exempla alia, quae suspicari nos iubent, puncta vocalia haud subiecta fuisse illis codicibus, *) ex quibus LXX interpr. versionem suam adornarunt; licet exinde probari nondum possit, quod puncta vocalia non sint originis diuinae; id quod viros quosdam doctos facere memini. In reliquis autem conciliari facile poterit translatio τωv LXX. cum textu originali, idcirco non est cur in hac re nimis simus verbosi.

Sed indicandae mihi nunc sunt rationes, quibus potissimum adductus, haec qualescunque meditationes in chartam conieci. Faustus, qui VOBIS, VIRI NOBILISSIMI, illuxit dies, et honores, quibus hodie ornamini insignes, non possunt non etiam in animo meo excitare maximam laetitiam; cuius testem tesseramque haec volui esse litteras. Amicitia etiam VESTRA, caritas et benevolentia exigit omnino, vt, quanti vos faciam, nunc publice declarem; exigit eadem, vt iusta diligentiae VESTRAE praemia ex animo VOBIS gratuler; exigit denique, vt PLURIMUM REVERENDOS PARENTES VESTROS felices praedicem, quibus contigit, eiusmodi educare filios, qui vestigia EORVM laudando conatu premunt. Cedat VOBIS, VIRI NOBILISSIMI, honor quem adsecuti hodie estis, in summam felicitatem. Deus T. O. M. occasionem breui VOBIS tempore praebet exoptatissimam, eam qua polletis solertiam rerumque perspicientiam ita collocandi, vt nominis sui gloria in his terris amplificetur, ecclesiae et reipublicae magnum exinde redundet emolumentum; VESTRA denique VESTRORVMQVE PARENTVM animi augeatur securitas atque voluptas. Si quid autem est, quod a VOBIS flagito, VESTRAE id erit amicitiae beneuola continuatio.

*) vid. Jo. Vdalr. Tresenreuteri disp. de Paradiso igne deletio. §. XI. p. 21.



Coll. DRS. A 167, misc 3